



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Excommunicationis Causa Materialis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

sanda, secus non esset defensio cum moderamine, & ita sentit Nava. in fact. *libi-dem, nota. 22. licet Boer. decis. 196.* dicat injuriam verbalem posse propulari armis vel aliis verberibus, & Foller. in *prac. crim. tit. de defensio. numer. 11.* dicit regulariter verba verbis esse propulanda.

Septimum, mandans percuti clericum, si interim mandantem pœnituerit, an incidat in canonem, etiam si decesserit? Vide Innoc. in *cap. mulieres de senten. excomm.*

Octavum, an locorum Ordinarii possent torquere clericos per manus laicorum? Respondetur quod cum hodie non reperiantur clerici, qui utantur arte tali, nec sciant ligare, & solvere, & erigere clericum torquendum, quod possunt; ita passim introduxit consuetudo, Nava. *loc. cit. notab. 24.* Diaz. *pract. crim. canon. ca. 17* & ita ego practicavi. idem Nav. in *c. nullu m, 18. q. 2. nume. 52. tit. de Reg. ad trir, damn. & in cons. 5. de foro comp. Tabien, in v. er. excommun. 5.* & est communis modernorum.

Nonum, an prælatus possit excommunicare aliquem denegantem sibi censum debitum, affirmativè respondet Innoc. in *c. significavit, num. 5. de censib.*

Decimum, quinam sint casus Papales, quive Episcopales, & quomodo possint cognosci? Vide Navar. *loc. citato à num. 88. & infra, & Sylvest. in ver. absolutio. per totum.*

Undecimum, an quilibet posset capere, seu etiam ligare clericum, vel ut eum avertat à flagitio, vel sibi debitum suspectum de fuga, modò quam-

primùm eum præsentet suo Prælato? Affirmativè respondet Sylvest. in *ver. excommunicatio, 6. num. 5. vers. 5.* Abb. in *c. cum non ab homine, num. 10. de iud.* & ibi Bal. *colum. 3.* & in *ca. dilectis, colum. 5. de appell.* Addit. ad Dyn. in *cap. ea qua de reg. jur. libro 6. lura B. vers. ego puto dictum.*

EXCOMMUNICATIONIS CAUSA MATERIALIS.

SUMMARIUM.

- 1 Pro qua quantitate possit admitti excommunicatio.
- 2 Pendente lite, vel post publicationem factam in causa, an possint concedi monitiones excommunicationis, & postea fulminatio ipsius.
- 3 An principalis teneatur revelare.
- 4 An in causis criminalibus sint concedende monitiones, & sententia excommunicationis, & si sic, an cum clausula, qua apponi solet in forma, significavit, & quid si inde sequeretur mors, vel mutilatio, si suspicio irregularitatis.
- 5 An debeant suspendi monitiones, parte contradicente.

ANtequam singulis quæstis respondeatur, non erit inutile notare hanc practicam, quæ (meo quidem iudicio) optima erit, ut maturiùs hac in materia procedatur, & eum causæ cognitione, prout jubet sacrum Conc. Trid. Ideo sic erit practicandum, ut præsentatis capitibus, super quibus petitur fieri monitiones, ac denique (si opus erit) fulminationem excommunicationis, antequam prælatus concedat illa fieri, faciat

faciat dicta capita intimari parti, quod jure, & ratione comprobatur. Jure: nam citatio est de jure naturali. Clement. *Pastoralis*, §. *ceterum*, de re jud. l. ut vim, & ibi latè Doctores, ff. de iust. & jur. & in omnibus actis est necessaria, ubi adest interesse partis, Maran. 6. p. iii. de citatione, num. 3. Gom. tract. utr. sign. ratione, quia tractatur de damnatione animæ in futuro, de fama & medicina hominis Christiani in præfenti sæculo, c. *medicinalis*, de sent. excom. lib. 6. & auditâ parte, eaque non allegante aliquod relevamen, vel probante aliquid, quo dicta concessio possit impediri, vel omnino aufertur, per prælatum decerni concedendas esse præfatas monitiones, per regulam, *Actore non probante*, & c. glo. in c. de his crim. de accusat. Covar. lib. 1. & ca. 1. num. 8. var. resol. & sic vidi practicari in Archiepiscopali Curia Neapolitana, & Navar. in consi. 38. num. 2. de sent. excom. dicit, quod monitorium super revelationibus factum, si non continet Clausulam justificantem, est nullum, quia debet continere Clausulam, ut si justam causam habuerit allegandi, audiatur infra terminum præfixum, quia resolvitur in vim Citationis, ut notat. glo. in cap. ex parte, de verb. signifi.

De causa materiali, vide Sylvest. in ver. *excommunicatio*, 1. per totum, Navar. cap. 27. à num. 13. Tabie. in ver. *excommunicatio*, in causa materiali. Asten. lib. 7. tit. 6. tamen hic pro practica Curiarum ecclesiasticarum responderetur ad primum, quod sac. Conc. Trid. sess. 25. ca. 3. de refor. optimè consuluit in hæc verba; *Excommunicationes, qua monitionibus*

premissis ad finem revelationis, aut pro deperditis, seu subtractis rebus fieri solent, ab Episcopo decernantur, & tunc non aliâ, quam ex re non vulgari; sed quæ sit ista res non vulgaris, est modò examinandum, nam Sot. 4. sent. dist. 22. quæ. 1. artic. 2. dicit, quod excommunicatio cum non sit ferenda, nisi pro peccatis maximis, cum sit pœnatum maxima, cap. corripiantur, 2. 4. 9. 3. non debet concedi pro levifurto, vel pro subtractis fructibus: hinc fit optime observare stylum Romanæ Curia, non concedendo excommunicationes, nisi attingant summam quinquaginta aureorum, licet sint temotim subtracti, vel sublari, per rationem quam tangit Sot. loc. cit. & lib. 4. 9. 7. art. 3. de iust. & iure, ut simul, vel separatim colligerent totam uvam à vinea, vel expilassent totam arcam pecuniariam, etiam si quid modicum unicuique contigisset, sed si simul hoc fecissent, res esset clara, Flor. Theol. in 4. sent. tract. de excomm. quæst. unica. art. 1. diffi. 2. in 2. causa, Medin. C. de restit. 9. 10. in fi. Cov. lib. 1. ca. 3. nu. 12. var. resol. & in regula peccatum. 2. par. §. 3. Navar. c. 17. n. 130. & 140. & Sot. lib. 5. 9. 3. art. 2. dub. pen. de iust. & iure, Covar. in c. alma mater. §. 9. & sic quantitas furti est arbitrandâ secundum circumstantias, primam locorum, ut in civitate non detur pro quantitate minori quàm quinquaginta aureorum, licet in oppidis & villis possit dari pro decem. Secundam circumstantiam personæ, ut si persona est pauper, cui auferantur tres, vel quatuor ducati, vel scuta, juxta notata per Nav. cap. 17. à num. 3. & infra, & Sot. dicit duos, vel tres aureos consti-

constituere pro se peccatum mortale, etiam si quis eos furaretur Imperatori, *lib. 5. q. 3. ar. 3. p. 3.* Tertiam circumstantiam rei, ut si res sacra. Quartam circumstantiam modi, ut per violentiam, & sic remanet conclusio ad arbitrium iudicis. Bene verum est, quod non minus, quam in quantitate, quam tangit Soto, & hoc in persona paupere, de qua sensit magnam jacturam, ut in opidis parvis, seu villis, ob rationem superius allatam à Doct. citatis, & præsertim à Navar. *cap. 27. nu. 10.* & Rodoa. *tract. de reb. Eccl. non alien. qu. 52. n. 73. & infra*, & in summa est considerandum, quod si pro furto quis non mereretur mortem corporis, nec pro illo non est infligenda mors animæ, quæ est excommunicatio, ut patet per omnes scribentes: nam privat triplici communione, charitatis Dei, suffragiorum Ecclesiæ, & societatis humanæ, & excommunicatus, dicitur jumentum diaboli, Nav. per extensum *loc. citato, numero 17. & infra*, & dicitur traditus Satanæ, & separatus à gratia & custodia Dei. Inn. & Abb. *in capit. si quis, numero 3. de reb. Eccl. non alien.*

Ad primum. Quoad primum est distinguenda, vel litigans petens excommunicationem, potest probare intentionem suam per alia monumenta, vel non; si primum, non sunt concedendæ monitiones, Sot. 4. *sensent. distinctio. 22. questione 1. articulo 2. col. 6. circa ultim. & col. 6. initio*, quia excommunicatio non habet locum, nisi ubi alia non est via possibilis, & quando res subtracta clanculo, & nullo alio medio sciri potest; si secundum, dico primò, quod non facile

debent concedi indifferenter. Ratio prima est, quia litigans contra quem concederentur, posset dicere: Ego vapulo duplici flagello à iudice coram quo litigo, & ab excommunicatione, quod est contra omne jus, quoniam Nahum Propheeta, *cap. 1. dicit; Non consurget duplex tribulatio, vel, Deus non iudicat bis in idipsum*, & suapte natura, unum uni contrarium datur. At *in Postprad. in c. de oppositis*. Secundò, excommunicatio est medicina, *cap. medicinalis, de sent. excomm. lib. 6.* & pœnæ sunt medicinæ. Arist. *in lib. Ethicor.* & non est concedenda excommunicatio, ubi verisimiliter iudex nihil profecturum sperabit; Covar. *in c. alma mater. 1. par. numero 16.* sed ille contra quem concederetur excom. dum litigar, vix duci potest, ut revelet sua secreta, per *c. 1. de probat.* ergo, &c. Tertio, quia reus posset allegare prudentiam litis coram alio iudice, quæ exceptio est dilatoria, Afflict. *dec. 354. num. 9.* facit ratio, quæ assignatur à Sot. *loc. cit.* quod quando foro civili, vel alia sæculari via potest transigi, certè fas non est per potestatem spiritualem, qua homo privatur suffragiis spiritualibus procedere. Dico secundò, quando quis non posset alia via tueri jus suum, & est causa alicujus momenti, & innocenter amitteret causam, & facièdo dictas monitiones, vel ultimò fulminando sententiam excommunicationis, reperiret testes quibus probaret intentionem suam, tunc profectò sunt concedendæ, supposito quòd non sit res vulgaris, sed alicujus ponderis. Ratio est apud Ecclesiast. *Erue eos qui innocenter ducuntur ad mortem; adest*

Aa ratio

Ratio Concilij. Prima si conceditur pro rebus deperditis & subtractis, multò magis pro eaula quæ alias deperderetur, nisi litigans adjuvaretur hoc auxilio. Secundo, quia in causis tam civilibus quàm criminalibus, abstinendum est à censuris, quando potest haberi executio realis, vel personalis: sed hic supposito, quod nullam executionem litigans haberet, debent concedi, imò debent concedi, etiam sicut à simili de habilitatione, seu absolutione iuramenti, ut dicit Afflic, dec. 220. numero. 10. & 11. invitâ parte.

Ad secundum. Sunt qui dicant, quod post publicatum in causa non debent concedi istæ monitiones, vel excommunicationis. Ratio est, quia timor est de subornatione revelantium, ut patet in Clem. 3. de test. & per alia iura vulg. 2. eo. tit. Maran. 6. p. act. 6. num. 22. tamen hoc non obstantè possunt concedi. Ratio est prima, quia potest producere testes quis etiam post publicationem, quando antea eam non fuerunt super omnibus articulis examinati, & ita tex. & ibi gloss. in cap. per tuas. in ver. interrogari, de testib. & gloss. in c. series, in ver. iuri contraria, & c. causam, et secundo, & c. cum venisset, eo. Secundo, quando iudex vellet interrogare testes, ut quia aliquid obscure depoluerunt, vel aliàs, quia hoc ei licet, etiam post publicatum in causa, v. cum Ioannes, de fide instrum. & ibi gloss. in ver. postquam. Boss. de pub. proces. nu. 3. 4. & 5. Tertio, quia possent produci testes simul cum scripturis, & instrumentis etiam post publicatum, in c. cum series, testib. n. cum dilectis, de fide instrum. Covar.

pract. quest. c. 20. n. 8. ver. 3. Maran. loc. cit. act. 8. n. 48. Quarto, quando testes producuntur ad convincendum vel probandum falsum alterius, gloss. ibi, & hoc usque ad viginti annos, & hoc non solum post publicatum, sed etiam post sententiam. Quinto, quia post publicatum possunt recipi testes etiam pro defensione rei, Bald. in l. prima, §. fin. ff. de quest. Bart. in l. divi fratres, ff. de pen. Sexto, in etimine hæresis, ubi post publicatum recipiuntur testes, etiam super eisdem, tam pro, quàm contra, Syman. de Cath. institut. tit. 64. numero 8. Septimo, quia potest esse quod post publicatum, litigans acquirat aliud jus non tunc, & tunc admittuntur testes, & citatio ad dicendum contra ista iura noviter producta, Gom. tract. utriusq. sign. fol. 91. colum. 1. Octavo, in matrimoniali, ubi sententia non transit uti quàm in rem iudicatam; nam semper testes possunt recipi, etiam post sententiam, c. lator, de sent. & re iud. Nono, quotiescunque agitur de evitanda peccato mortali, capit. veniens, & capitulo venientes, de iure iuran. Covar. de spons. prima p. c. 4. Decimo, quando vellet quis uti testibus revelantibus in secunda instantia, in causa appellationis, Clem. 2. de testib. & c. fraternitatis, extra eod. tit. super novis, & ex directo contrarijs, Maran. 6. p. tit. de appell. n. 162. Undecimo, quando vellet uti exceptione contra personas testium, quia hoc potest probari etiam post publicatas attestaciones, Abb. in c. 1. n. 5. de testib. & sic restat conclusio, quod cum litigans possit uti testibus revelantibus tot, modis, possunt

concedi monitiones, & sententia, si o-
puserit, post publicatum in causa.

Ad tertium. Vulgarum est apud quos-
dam, sed nescio ubi fundatum, quod
principalis non teneatur revelare; potest
facere pro hac conclusione *c. 1. de probat.*
ubi dicitur, nullibi dicendum esse
ea, quæ contra te sunt, & tibi Gloss. *in ver.*
nulli, sed hoc dato, & non concessio, ne-
gari non potest, quod et si principalis
non teneatur revelare, tenetur tamen
restituere quod possedit mala fide, ut
patet *in cap. 2. de reg. jur. lib. 6. & D. Tho.*
2. 2. quest. 62. & Sylvest. in ver. restitutio,
3. per totum. & §. 6. ex professo. Facit
quod notat Gemin. *in c. commissa, §.*
illum, ver. nosa bene, de elect. lib. 6. ubi di-
cit, quod licet pæna non debeatur, nisi
post latam sententiam in foro pæniten-
tiali, tamen tenetur de restitutione dam-
ni: & circa hoc, cum sit materia indies
practicabilis, & magni momenti, di-
cam breviter, quæ sentiam. Sit igitur
prima conclusio. Principalis teneatur
revelare, quando concurrunt tria.
Primum, id pro quo fit excommunica-
tio, at semiplenè probatum, ut quando
unus testis oculatus, & omni excepti-
one major deposuit, aut unum judici-
um est: vel plura æquipollentia, ut sen-
tit Bartol. *in l. ff. de quest. numero 3.*
Secundò, quando illa semiplena proba-
tio sit posita in processu. Tertiò, quod sit
reo notificata, quo videat se ad obedi-
endum mandato judicis teneri, D. Tho.
2. 2. quest. 69. art. primo in corpore ad
primum argum. Navar. cap. 25. n. 35. &
infra. Soto lib. de rat. reg. secr. memb. 2. q.
27. concl. 3. Diaz pract. crim. Canon. ca-

pu. 118. & est ratio à minori ad majus,
si quisquam his tribus circumstantiis
concurrentibus tenetur dicere verita-
tem, etiam quando agitur de vita, quan-
tò magis ubi litigatur de rebus quæ sunt
minoris ordinis? Covar. pract. quest.
capit. 23. numero 5. Nec obstat dictum
capitulum, quia ibi gloss. in notab. & in
vers. contra, dicit, quod licet teneatur
quis prodere scripturas proprias, tamen
teneatur revelare eas quæ sunt commu-
nes; facit quod hæreticus teneatur ede-
re filco contra se agenti libros, & in-
strumenta, cap. ut commissi, de heret. libi
6. Direct. Inquisit. libro 3. Socin. in reg.
149. quæ incipit, edere actori, proba-
tur etiam à Sylvest. in ver. correctio,
numero 7. §. 9. ubi tenet hanc conclu-
sionem nostram, & aliqua etiam tan-
git in verb. inquisitio, 1. numero 7. §. 3o
ver. 3. Ang. in ver. denunciatio, §. 13. &
Navar. capite 17. num. 137. Secunda con-
clusio; si vero non concurrunt ista tria,
non tenetur revelare juridicè, seu in
scriptis, sed Prælato, seu judici, vel
per se, vel per aliam personam sibi con-
fidentem; ita Sylvest. loc. cit. in ver. cor-
rectio. Tertia conclusio, si quis dum li-
tigat, arbitratur se habere bonam cau-
sam, jus, & rationem, & tunc non tene-
tur revelare, nec si non revelet, incurrit
aliquam excommunicationem. Ratio
prima est, quia eum excusat bona fides
quæ eximit illum à peccato mortali, sine
quo non incurritur excommunicatio,
cap. nemo, 11. quest. 3. Secunda ratio per
ea quæ dicit Sylv. in ver. furtum, nume-
ro 19. §. 15. & Navar. cap. 17. numero
114. & 135. Cajet. 2. 2. quest. 66. art.

3. ad 3. *argum. in fine*; & art. 4. *in fine* Abb. in c. olim, il primo. de restitu. spoliat. sed de hoc non debet fidere nimium; sed consulere peritiores, ne propria passio eum obcæcet. Quarta conclusio; si vero incipit odorari se injustè litigare; & adversarium suum habere rationem; tunc tenetur revelare, vel desistere statim ac de hoc sit factus certior. Ratio est D. Th. 2. *quæst. 69. art. 2.* quod nemini licet cavillose defendere: faciunt ea quæ dicit Nav. *cap. 25. n. 28.* facit etiam quod dicit Nav. *conf. 2. de præscript. & conf. 19. de reb. Eccl. non alien. & conf. 3. de statu monach. n. 28. & 29.* nimirum quod impotens ad restituendum, sed non revelandum; licet excusetur à restitutione, non tamen excusetur à debita & præcepta revelatione.

Ad quartum. In hoc sunt tria discutienda. Primum, an possit concedi in causa criminali; Secundum, qua forma; Tertium, si sequitur mors; vel mutilatio, an sit suspicio de irregularitate in concedente? Quoad primum, aliqui dicunt non esse concedendas monitiones, seu sententias, quia sæpe sapius solent patere malos exitus, ut quia dant animum falsitatis: tamen quicquid sit, Romanam Curiam vidi illas concedere: Sed dicit quis, Romanus Pontifex, non est periculum quod incurrat irregularitatem, quia est supra jus positivum; & omnes irregularitates sunt de jure prædicto, Sic de rat. leg. *secr. mem. 2. q. 5. concl. 3. & 4. sent. dist. 25. q. 1. ar. 3. in ult.* Nav. c. 27. num. 191.

Ad hoc responderetur. Primo, quod ad esset saltem peccatum, quod non ve-

risimile est velle permittere summum Pont. Secundo, quia istas excommunicationes committit Ordinarijs locorum; quos non vult propter hoc incurrere irregularitatem aliquam: Tertio, quia Romana Curia est norma & regula omnium Curiarum spiritualium. Quarto, quia adest ratio Scripturæ; *Exodi 22. Non suscipies vocem mendaci; & inde ne in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ; ut à vero devies, innocentem; & iustum non occides;* sed aliquando homo occiditur omissione, cum possit defendi; & non defenditur, & hoc maxime imputatur ei, cui competit ex officio, c. *quantiã, de sent. excom.* D. Thom. 2. 2. *qu. 58. ar. 11. & c. qui scandalizaverit, de reg. iur.* ubi dicitur: *Vultus scandalum nasci permittitur, quam veritas derelinquatur: & fortassis Daniel timuit irregularitatem, convincens testes falsos, cap. 13. & Ecclesiæ, c. 4. & in fine, Pro iustitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certare pro iustitia: & habui in praxi dum essem Vicarius, & responsum fuit à sac. Cong. verum est, quod concedendæ sunt cum grano salis; facit *Prov. c. 24.* ubi dicitur; *Erue illos qui ducuntur ad mortem;* & Nav. *inc. pen. n. 15. de pen. d. 6.**

Quoad secundum, solere concedi cum tribus cautelis seu clausulis. Prima, ne fidem faciant; nisi civiliter tantum. Secunda, ad defensionem rei; & non ad offensionem aliorum; tertia, quoad interesse; quod est idem cum primo, & ita solet concedi in forma, significavit.

Ad tertium, videtur quod sic, per regulam, *Qui est causa cause, est causa causati*

fati, & cap. studeat. 50. d. tamen oppositum est verius, argum. cap. 2. de hom. lib. 6. Gom. in q. 2. col. 4. in reg. de ann. possess. Foller. in pract. crim. in fragm. num. 7. Covar. in clem. 1. de hom. 2. part. §. 5. Caiet. 2. 2. q. 3. ar. 7. Soto l. 5. q. 5. ar. 1. in fine, & de rat. leg. & deteg. memb. 2. q. 4. concl. 2. in fin. & q. 5. concl. 3. versi. ex hac concl. sequitur, facit & novimus, de verb. signam præcedentibus illis tribus cautelis quæ sunt protestationes, non incurritur irregularitas, etiam si mille mortes sequerentur, per iura, & Doct. superiùs allegata; & ad hoc, ut quis sit irregularis, debet etiam esse causa propinqua, & non remota, gloss. in c. de catero, de homic. Navar. c. 27. num. 219. in fine, sed clarum est, Ordinarium concedentem istas revelatioes, esse causam remotam, quia hoc non intendit, sed defensionem rei innocentis, ad quod tenetur de jure divino, & naturali, & per ultimum dictum, non obstat regula, nec dictum capitulum, studeat: nam dicit gloss. in dicto capitulo de catero, in versi causa, quod voluntas vel animus nocendi requiritur, &c. Ad dicitur & ratio: nam verba illa non frustra ponuntur, sed debent aliquid operari; ergo operabuntur indentamratem concedentis.

Ad quintum, patet ex dictis ad secundum, sed circa hoc dicerem, quod nisi contradicens in contradictorio iudicio probaret adversarium, ad requisitionem cuius fit excommunicatio, haberet intentionem suam fundatam per scripturas vel per testes, vel quod posset probare alijs documentis, semper est concedenda excommunicatio, ut dixi

superiùs, ex Soto 4. sent. dist. 22. quæst. 1. art. 2. colum. 6. circa finem; & ratio est, quia vel contradicens ad aliquid tenetur, & sic, vel revelet, vel restituat, prout dixi ad tertium, vel scit in conscientia se ad nihilum teneri, & sic finat fieri excommunicationem, quia sibi nihil nocet: in isto enim non est posita lex; ad Romanos. capite 4. & 5. 6. & 7. capite nemo, 11. qua. 3. sed nonnulli sunt qui videntur timere excommunicationem, eamque conantur impedire, cum teneantur restituere, & hoc nihil eis prodest, nam licet non sint excommunicati in Ecclesia militante, essent tamen tales apud Deum, per peccatum mortale, argum. capituli nobis, il secundo, de senten. excommun. Covarr. in ca. alma mater. 7. prima part. n. 7. art. 2. nam excommunicatio non est sola pœna exterior, ut falso agebat Lutherus Catholica Ecclesia hostis.

Hinc oriuntur multa dubia. Primum an Episcopus committens aliquid in diœcesi alicujus Episcopi prohibentis illud sub pœna excommunicationis latae sententiæ, incurrat illam excommunicationem. Et videtur quod non, quia pater in patrem non habet imperium, & Sot. 4. senten. dist. 22. quæst. 2. art. 2. col. 2. & citat pro se Panormit. in capitul. 1. de rapt. & Sylvest. in verb. excommunicatio, i numero 9. videtur etiam declinare in hanc partem, & Innocent. inc. cum inferior, numero 1. de major. & obed. Bald. in marg. Innoc. in ver. Episcopus: tamen oppositum est tenendum, ut dicit Abb. in dicto cap. de raptor. num. 12. in fine, Innocent. & Felin. in cap. cum inferior. de majorit. & obed. Ratio est, quia Archi-

episcopus, vel Episcopus in diœcesi aliena se habet, ut persona privata; & hoc etiam intelligitur in Archiepiscopo in provincia extra suam diœcesim, Gom. in capitulo secundo, §. statuto, numer. 53. de constitut. lib. 6. & Archi. in dicto capitulo secundo, & Abb. in capitulo sanè. col. 2. de foro competen. Guid. Pap. 328. numer. 2. faciunt quæ dicit Capyc. decis. 27. numer. 24. & 25. & dixi in ver. Episcopus, & gloss. in capit. ibi semper, in ver. causa. 3. q. 6. dicit, quod etiam Metropolitanus incidit in excommunicationem sui Suffraganei, quicquid dicant alij, & Clar. q. 35. ver. ulterius quero, & addit. Ca. Tolos. q. 123. & Afflict. in constitut. homines, n. octavo, vide Gem. in c. 2. ver. quero an Archiepiscopus. de constit. lib. 6.

Secundò, an subditus Episcopi, delinquens in loco exempto, incurrat excommunicationem Episcopi latam, & prohibentem illud, in quo ille delinquit? Vide Sylv. in ver. excommunicatio. 2. numer. 12. ubi concludit, quòd non, gloss. in d. c. ut animarum, in ver. diœcesim: sed debet intelligi in loco exempto ubi Prælatus habet jurisdictionem Episcopalem; secus verò incidit: ut si quis ludat ad aleas in sua diœcesi, si quis luderet in monasterijs Regularium, incideret, quia ibi Prælatus non est cum jurisdictione Episcopali, quæ requirit territorium; D. Anton. 3. p. tit. 24. cap. 75. §. 1. Anchar. in c. 2. numer. 12. de constit. lib. 6. licet monasterium dicatur territorium Abbatis, & delinquens in eo, non incideret, maxime ubi sunt Abbates, Cardinalis in Cle. 1. numero 1. de stat. monach. Caputaqu. decis. 225. p. 2. secus verò in alijs Con-

ventibus, quia appellatione monasterij non venit Prioratus, ita nec etiam Guardianiæ, vel Vicariæ. Feder. de Senis cons. 145. sed Navar. tenet, quòd prælati regularium habent jurisdictionem quasi Episcopalem in suis monasterijs, in c. non dicatis, numer. 63. per Clem. 1. & ibi gloss. in ver. monasteriorum, de reb. Eccles. non alien. quod probatur ratione: nam ipsi excommunicant, castigant, visitant; ergo ista loca sunt exempta, & sic delinquentes in eis, non incidunt in pœnas Ordinatorum. Facit quod notat Afflict. in q. 6. prælud. constit. regni, numer. 4. quòd valet consequentia, habet Baro territorium; ergo habet jurisdictionem, & Gem. in c. cum Episcopus. in 3. notab. de offi. ord. lib. 6. dicit, quòd locus exemptus dicitur de diœcesi, & sic patet, quòd dispositiones, & mandata, quæ fiunt in diœcesibus, includant loca exempta, dum tamen fiant per habentem jurisdictionem in exemptos, cujusmodi nò est Episcopus, qui non habet jurisdictionem in Regulares per sua privilegia, secus si haberet: quia tunc ligarentur, & Episcopus possit exercere jurisdictionem in loco exempto posito intra suam diœcesim, vide inferius in ver. exempt.

Tertiò, Episcopus facit excommunicationem latæ sententiæ contra alloquentes moniales, an qui alloqueretur moniales exemptas incideret in eam? Videtur quòd sic, per rationem superius allatam; tamen Armil. in ver. excommunicatio, numer. 3. dicit, quòd sic, sed non quatenus loquatur, sed quia delinquit in via, quæ non est locus exemptus, sed de territorio Episcopi: sed ista ratio non valet,

EXCOM-

excommunicatio enim non incurritur regulariter, nisi ad sit actus consummatus, ut patet de immittente istum in clericum, & eum non tangente, non est excommunicatus, ut est communis sententia Doctorum, Nav. c. 27. n. 52. Præterea quia ad hoc, ut sententia Episcopi liget aliquem delinquentem, requiruntur duo. Primum, ut persona delinquens sit subdita Episcopo; secundum, ut locus etiam sit de sua jurisdictione, quorum uno deficiente non incurritur. Gemin. in c. 2. vers. *quaro pone, de constit. lib. 6.* tamen ratio est, quia excommunicationem illam facit ordinarius tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, Conc. Trid. sess. 25. cap. Bonifacij VIII. & ordinarii etiam vocantur delegati, circa hoc à Pio V. in Bulla sua 100. fol. 1070. prout dixi in ver. *Moniales*, §. 16. Nav. in c. *statuimus*, n. 55. 19. q. 3. & alia ratio potest esse quam tetigi in dub. 2. quia exemptio Ordinarii intelligitur, ubi prælatus habet jurisdictionem Episcopalem cum territorio quod non est in monasteriis exemptis. Facit quod dicit Anch. ubi supra. vide Abb. in c. *tuorum nu. 8. usque ad fin. de privileg.* tu tamen dic, prout sup. dub. 2.

Quartò, an Episcopi possint excommunicare Regulares? Regula est, quòd excommunicatio lata ab Ordinariis contra subditos suos, non ligat religiosos, quia non subsunt eorum jurisdictionibus, c. *à nobis*, il. 1. de sent. excom. Flor. Theol. in 4. sent. tract. de excom. 1. difficul. art. 1. conclus. 1. cap. Romana, de sent. exco. lib. 6. c. 1. §. *in eos. de privileg. lib. 6.* Fallit primò in prædicantibus sine licentia Ordinarii, vel Sedis Apostolicæ, c. *ex-*

communicamus, §. *quia verò, de heret. Conc. Trid. sess. 5. c. 2. in fin. de reform. gl. in c. quod Dei, in vers. privilegia, de status monach. Castro lib. 3. c. 3. iuxta finem, de iusta heret. punit. Peng. com. 40. super c. 13. in parte 2. Direct. inquisit. Syman, de Cath. instit. tit. 49. Bulla Leon. X. qua est 15. fol. 205. Secundò fallit, quando nollent ire ad processiones indictas ab Episcopo, sess. 25. c. 13. de regular. & sac. Congreg. declar. 32. censuit, Regulares, qui non accedunt ad processiones ab Episcopo indictas, posse ab eo puniri per censuras, & pœnas arbitrarias, & alia juris remedia. Tertio fallit, quando auscultarent confessiones sæcularium, etiam sacerdotum sine licentia Ordinariorum, sess. 23. c. 15. de refor. Clem. Dudum, §. *ac deinde, de sepulc.* Quarto fallit, quando absolvent pœnitentes, quos audiunt in confessionibus, à casibus reservatis ipsi Ordinario, Conc. Trid. sess. 14. capitul. 7. *casuum reservat.* Ratio est, quia Mare magnum est abrogatum in omnibus, in quibus contradicit decretis sac. Conc. Trid, prout in Bulla Pii IV. sub datum Roma, Kalendis Martii, 1565. Pont. anno 6. & ita multoties fuit declaratum per sac. Congreg. ut dixi à casib. reservatis Ordinario, quia si excommunicatos vel à canone vel à sententiis per statuta synodalia positos absolvere præsumperint incidant in Papalem excommunicationem, Clem. 1. de privile. si verò à casibus in Bulla Cœnæ Domini, essent excommunicati ipso jure Episcopali excommunicatione, prout dicit Navar. capitulo vigesimo septimo, numero 74. & hodie per Bullam Cœnæ sanctissimi*

Altissimi Sixti V. est Papalis excommu-
 nicatio, & in istis casibus non esset opus
 ut excommunicarentur, sed ut declara-
 rentur tales. Quintò fallit, quando non
 observarent, nec publicarent censuras
 ecclesiasticas, nedum à sancta Sede A-
 postolica emanatas, sed etiam ab Ordi-
 narijs mandante Episcopo, Conc. *sess.*
vigesima quinta, cap. 12. de regul. cap. cum
plantare, §. excommunicatus, de privi-
leg. cap. Episcoporum, eod. tit. lib. sexto, ca-
pit. his qui, §. his vero, de sent. excommu-
eod. lib. Abb. in Clem. 1. numero 5. de sen-
tent. excomm. §. numero 12. Sexto fallit,
 quando non observarent dies festos,
 quos in diocesi sua servandos Episcopus
 præceperit, Con. Trident. eodem loco, ca-
 pitulo de iis, duodecima distinctione. Sep-
 timò fallit, quando isti Regulares de-
 gunt extra claustra, & delinquant, *sess.*
sexta, capitulo tertio de reform. Bull. Clem.
VII. quadragesima tertia, quæ incipit, Se-
dis Apostolica, contra Franciscanos de
 observantia, vagantes extra claustra.
 Octavò fallit, quando ipsi Regulares
 mitterentur ad regendas Ecclesias suo-
 rum monasteriorum subditas locorum
 Ordinarijs, *capitulo primo, §. in eos, versio,*
nisi forsan, de privileg. libro sexto, & hoc et-
iam notatur à laic. Conc. sessione septima,
capitulo decimoquarto, de reform. Nonò
 fallit, quando Regulares haberent cu-
 ram animarum in Ecclesijs curatis mo-
 nasteriorum, seu domorum tam viro-
 rum quam mulierum, quoad curam ani-
 marum, *sess. 35. cap. 2. de refor.* exceptis,
 quibusdam, de quibus ibi, Decimò,
 quando Regulares commorarentur in
 Abbatijs, Prioratibus, Præposituris, & in

beneficijs sive Curatis, sive non, ubi non
 viget Regularis observantia, *sess. 21. cap.*
§. de refor. Undecimò; quando Regula-
 res degentes intra claustra, & extra ea,
 ita notoriè deliquerint, ut populo scan-
 dalo sint, *sess. 25. cap. 14. de regular.* serva-
 to tamen ordine, de quo ibi, vide Navar.
in capitul. non dicatis, n. 63. Duode-
 cimò, si regulares præsumperint admi-
 nistrare clericis aut laicis sacramentum
 Extreme Vnctionis, vel Eucharistiæ, vel
 Matrimonij, sine licentia Parochi, *Clem.*
1. de privil. gl. ibi, in 4. notab. juxta notata
per Navar. cap. 27. numer. 101. Caiet. *in*
summ. verb. excommunicatio, cap. 64.
Gom. in capit. 2. numer. 50. notab. 3. de con-
stuit. libro 6. Cardin. in dicta Clem. Syl-
vest. in ver. excom. 14. §. 7. & Navar. cap.
21. num. 52. Decimotertio fallit, quando
 proceditur in causis Religionis, seu san-
 ctæ Inquisitionis, quia in his causis Re-
 gulares sunt subditi locorum Ordina-
 rijs, *c. ad abolendam, de heret. gloss. in*
Clem. unica, in vers. à jure, de excess. prala-
tor. Decimoquarto, in casibus *Clemen-*
tina, Cupientes de pœnis. Decimoquinto,
 facientes egredi moniales à monasterijs,
 etiam ipsis Regularibus subjectis, sine
 licentia Ordinarij, & non servantes
 clausuram dictorum monasteriorum
 monialium, possunt per censuras, & alia
 juris remedia ab Ordinario puniri: si-
 militer, si susceperint moniales ad habi-
 tum, vel ad professionem in suis mona-
 sterijs, possunt tam ipsi Regulares, quam
 Abbatissæ, vel aliæ præfectæ dictorum
 monasteriorum puniri per censuras ec-
 clesiasticas, & alia juris remedia à loco-
 rum Ordinarijs, *sess. 25. capitul. 5. de re-*
gular

gular. Sacra Congregat. declar. 261. pro-
ur dicam etiam in versicul. moniales, §.
14. Decimosextò fallit, quando publica-
rent Indulgentias, quas à summo do-
mino Papa impetrarent, sine Ordinarii
licentia, sess. 6. cap. 3. de reformat. & sess.
24. capit. 11. de reformat. & declar. sac.
Congregat. 233. Decimosseptimò, quan-
do exempti admitterent ad divina offi-
cia, vel sepelirent excommunicatos ab
ipso Episcopo, Anchar. in ca. Episcopi, n.
3. de privileg. lib. 6. & Abb. in cap. sacris,
num. 7. de sepulchr. Decimo octavò, quan-
do essent executores ultimæ voluntatis,
vel piorum legatorum, Clem. unica de te-
stament. & ibi gloss. & Abbas. Decimo-
nonò, fallit in actu reconventionis, quia
tunc Regulares subsunt ejus judicio, in
quo reconveniunt, gloss. in cap. 2. de mu-
tuis petit. & in c. at clericus, in vers. non te-
netur, de judic. nec clericus, sive regularis,
sive secularis potest hoc judicium ter-
giversari, Maran. 4. par. distinct. 6. numer.
53. & infra, etiam si reconventio fiat in
foro ecclesiastico, quia tunc subessent
huic censuræ; & sic vidi praticari Nea-
poli, vide Hostiens. in sum. titul. de statu
monach. de visitatione, num. 8. & 9. ubi
dicit quod ratione delicti, & contractus,
Religiosi subsunt Episcopo. Vigestimò,
quod dictum est, Regulares prærecu-
sus prædictos non posse excommunica-
ri ab Episcopo ratione exemptionis, i-
dem dicendum est de declaratione ex-
communicationis, quia non possunt
per ipsum Episcopum declarari tales,
juxta Extravag. Martini V. Ad evitanda
scandala, nisi per suos judices competen-
tes, cujusmodi non est Episcopus, nisi in

casibus permiffis, in quibus sicut potest
eos excommunicare, ita eosdem decla-
rat tales, Navar. consi. 2. de sent. excom-
muni.

EXCOMMUNIATIONIS CAU-
SA FORMALIS.

PRIMò, regula habetur, in cap. sacro,
cap. contingit, de sent. exc. quod ex-
communicatio pro præteritis non de-
bet fieri, nisi præcedentibus tribus mo-
nitionibus cum suis intervallis, ut una-
quæque monitio habeat biduum, aut
unica pro trina, assignatis sex diebus;
quod si Prælatus aliquis inferior Epis-
copo, vel Episcopi Vicarius sine moni-
tionibus istis, & scriptura publica, vel
privata, excommunicaret aliquem, &
nisi justa de causa id ommitteret, esset in-
terdictus ab ingressu Ecclesiæ per men-
sem, & si interim celebraverit ali-
quod divinum officium aliqui ordini
particulariter addictum, erit irregularis,
capit. 1. de sentent. excomm. lib. 6. Navar.
capit. 27. num. 8. hoc tamen fallit. Pri-
mò, quando periculum esset in mora,
cap. constitutionem, de sentent. excommuni.
lib. 6. quia tunc esset minuendum tem-
pus, nec plus nec minus, nisi quantum
oporteret, Navar. ibidem, num. 10. Hoc
est dubium primum; an interdum pos-
sit prælatus excommunicare aliquem
non præmissa aliqua monitione absque
periculo incursionis in pœnam, de qua
suprà? Et respondetur, primò posse,
quando periculum esset in mora, ut ex-
emplificat Soto in 4. sent. dist. 22. q. 1.
art. 2. col. 3. & gloss. in dicto cap. consti-
tutionem